

V c
3341





f. 30. 8

Vc
3341

INVENTIO

AD SEPTEM PLANETAS

TEMPVS, DIEM, NOCTEM ET

horas ingeniosè accommo-
data:

QVA ILLVSTRIS

SIMVS ATQVE CELSISSIMVS

PRINCEPS AC DOMINVS, DOMI-

nus Ioannes Georgius, Dux Saxoniae, Land-

gravius Turingiae, & Marchio Misniae, in il-

lustri illustrium suarum nuptiarum solennitate,

in arce Dresdensi munitissima ad orbem pensi-

lem equo decurrens, magnificè splendidèq;

usus est 18. Septemb. anno

Christi

M. DC. IV.

IMMORTALIS

AD SEPTEMBER PLANETAS

Tempus Dies NOSTRUM

homo ingenuus accingitur

data:

OVALLVSTRIS

SIMVS ATQVE CESSIVS

PRINCIPES AC DOMINVS DOMI

us Joannes Georgius, Elector Saxoniae, Landgr

avariae, Thuringiae, & Marchio Milania, in ill

lustrum, in hunc mundum nuptiarum solennitate

in arce Biberachi nuptialibus ad ordinem panti

lari equo decoratus magnifice solennitate

habet 12. Septemb. anno

Christi



M. DC. IV.



H O R A.

I.

BIna pijs precibus recitandis hora tributa
Mané sit : hinc corpus veste decente tegas.
Relligiosa dein pete templa; nec abnue, pronis
Auribus vt capias iussa verenda DE I.

II.

Quatuor hinc horas operare, nec ipse recusa
Id genus officij, quod Deus imposuit.
Postea fagineis ponantur prandia mensis:
Dic satur excelso vota precésq; DE O.

III.

Cùm sublata fames epulis, ac mensa remota est,
Vel requiesce domi, vel spaciare foris.
Quatuor hinc horæ rebus tribuantur agendis;
Postmodo sit rursus cœna parata tibi.

IV.

Sex horas somnum capiant Heliconis alumni:
Dormiat aut septem qui graue versat opus.
Proroget at somnum per bis quater ipse viator:
Dormiat Endymion quilibet inde nouem.

A 2

Dies

D I E S.

I.

Ipsē fero rutilum terræ jubar, atque tenebras,
Omnia fuscantes, solus in orbe fugo.
Quod nigrore suo penitus nox abdedit, illud
Propatulis statuo, ceu decet, omne locis.

II.

Oscula Leucothææ captat radiantis & ortus,
Qui lucis properat commoditate frui.
Hic operas inter nunquam torpore dehiscit
Segniter, aut differt, quod bene cœpit, opus.

III.

Quisquis es, in tenebras lucem quid vertis opacas?
Quidue in luce patras, qualia nocte latent?
Quin potiùs, quæcunque dies exposcit, in illo
Perfice: qualia nox, tempore noctis age.

Nox.

Dies

A

N O X.

I.

OMnia terrificis tenebris inuoluo per orbem;
Rebus & omnigenis jam color vnus inest.
Per somnum vires reparo, vigiliq; labore
Exhaustas recreo, fessaq; membra leuo.

II.

Nox inimica quidem nulli; sed prorsus in vmbra
Nocturna tutum se fore nemo putet.
Nycticorax crocitat miserum; volitatq; subinde
Nycteris; insidias jam tibi latro struit.

III.

Tempora si noctis mutes in tempora lucis,
Plurima perficies noxia, nilq; boni.
Quando tamen lætus conuiuia læta celebras,
Fac serues inter pocula plena modum.

A 9

Tempus.

TEMPVS.

Qui venio facie rugosa tristis, & annis
Obsitus, hoc toto Tempus in orbe vocor.
Omnia lege mea moderor: nam quod fuit, aut est,
Aut erit, id nostro subiacet imperio.
Vtere concesso tibi vitæ tempore: nunquam,
Quæ modò præterijt, mobilis hora redit.

L V N A.

Ipsæ pruinosæ moderatrix Cynthia noctis,
Lucis inops niteo fratris ab igne mei.
Argenti vis tota mihi commissa, quod omnes
In terris multa sedulitate colunt.
O homines stolidi! locuples non æris aceruus,
Sed probitas magnos ingeniûmq; facit.

MERCVRIVS.

Aduenio Maia genitus, celer ille Deorum
Nuncius, exquirens mitia iussa Iouis,
Sum bonus ipse bonis; versutos atque dolosos
Eludo simili mox ratione viros.
Mobile (crede mihi) ceu semper hydrargyron errat:
Sic quoque nil certi lubrica corda tenent.
Venus,

V E N V S.

ME iocus ornatus circumuolat atque Cupido;
E quauis etiam gente tributa peto,
Musica grata mihi : neque non me Cupria norunt
Æra ; iuuant aures plectra sonora meas.
Dulce merum, dulcis coniunx, mens conscia recti:
Quid tribus his iunctis suauius esse potest?

S O L.

Sol ego sum, terras qui flammis lustro coruscis,
Omnia dum recreo nata calore meo,
Me penes est auri custodia ; quilibet illud
Suspicit, & magni numinis instar habet,
Diuitijs mundi confidere, plena periclj
Res est : sola beat cum pietate fides.

M A R S.

Armorum strepitus, resonans clangorq; tubarum
Me iuuat, atque lubens Martia castra colo,
Sanguine dextra rubet, hostes dum sterno feroces:
Hinc semper nobis æra sacrata manent.
Pro patria pugnare sua, ciuésq; tueri,
Res est, quam ratio, quam Deus ipse probat.

Iuppiter.

I V P P I T E R .

Seruo quodque pium, fas, leges, foedera pacis :
Infantes scelerum tutor, amōq; bonos,
Stannum procuro : ventis portate proteruis
Curas do vigiles in mare fluctisonum,
: Ut numeres longæ mollissima tempora vitæ,
Dilige delicias blanditiasq; leues.

S A T V R N V S .

Nigra mihi facies, tardus gradus, hispida barba ;
Fluxas perpetuò colligo diuitias,
Plumbo delector liquido, ferrumq; cruentum
Expeto, dum piceo turbine solus ago,
Sis bonus ingenio, cautus prudensq; futuri,
Ut vitæ fugias tristia damna tuæ.



Hora.

H O R A.

- I. **E**ffulsit rosco cum Lucifer aureus ortu
Prima tibi, ô homo, sit cura litâsse DEO.
Posthabitâs alijs sanctum prece Numen adora:
Mox animam verbi semine pasce tuam.
His licet impendas duplicatam strenuus horam,
Nil perdis: tua quin fit duplicata salus.
- II. **N**umine placato, studijs, propriôq; labori
Adde manus; vrgens, quod benè cœpit, opus.
Inde cibos as est potuq; reducere vires
Prolapsas: sed non immemor esto precum.
Non etiam nimio ventrem distendere victu
Sit volupe. Scitum est: Omne nocet nimium.
- III. **P**ostquâ pulsa fames epulis, virésq; relectæ;
Vel pede lentus eas, vel sit amica quies.
Hinc ad opus tollers alacérq; reuertere: & illi
Horis adsiduò quatuor inuigila.
Post iterùm dapibus licet instaurare caducum
Robur; vt excipiat lumina deinde sopor.
- IV. **V**endicat in somnū sibi sex, non ampliùs, horas
Palladius iuuenis, si modò recta sapit.
Quem manus exercet, septem deposcit: at octo
Iurè capit, quisquis carpit iter peregrè.
Ille pigros inter socios, quem sæpiùs audit
Stertentem rauco gutture nona, cluet.

B

Dics.

D I E S.

I. **E**Xoriens lucis gratissima munera spargo :
Me radiante truces diffugiunt tenebrae
Nigropeplae quidquid latuit velamine Noctis :
Quidquid & in somnis terruit horrificum :
Protraho sub lucem : postquam sat fessa quiêrunt
Corpora, consurgunt exhilarante die.

II. Quisquis amans lucis fuerit, me prouidus uti
Occupet ; & gaudens aggrediatur opus.
Adsit sedulitas : adsit querimonia : quidquid
Cras serum est , alacer conficias hodie.
Quid ? facere hoc pergis ? Rerum te copia diues :
Cessas ? paupertate mala spontè manet.

III. Omnibus edico, ratio quos fida gubernat,
Ne male pertendant luce nitente fruj.
Néue voluptatis stolidus turpisq; minister
Quid faciat, noctis quod solet esse labor.
Singula pol video ; nec quidquam me latet horum :
Prorsus in apricum crimina cuncta fero.

Nox.

N O X.

I. **N**igra mihi, fateor, facies: Regina salutor
Umbrarum tamen: hinc jugiter imperito.
Quin etiam placidi moderatrix humida somni
Audio, qui curas tristitiâmq; fugat.
Qui tulerunt æstûmq; grauem, pondûsq; diej
His optata venit, me tribuente, quies.

II. **A**edepò! haud hominis cuiusquam dicier hostis
Promerui: non mens tam rabiosa mihi.
Fidere nemo tamen tutò solet: vndique circum
Obscœnæ volucres quod volitare solent.
Nec minús insidias nebulonum turba latronum
Soepè viatori nocta silente struit.

III. **C**ùm simulare diem cogor, cùm tecta coruscant
Ignibus: haut semper lumine digna patrant.
Regna capit vitium pulsâ virtute: voluptas,
Insinuans animis, efferâ sceptrâ gerit.
Sunt tamen & grauium conuiuia digna viorum:
Lætâq; serietas fortia corda beat.

B ij

Tempus

TEMPVS.

I.

Ille ego, præcanâ quem maiestate verendum
Contemplare, volans TEMPVS ab axe vocor.
Principium, médium, finem dare rebus anhelô:
Priscorum meminens, & noua continuans.
Natum, denatum, nil me fugit: omnibus adsum
Præsens; & vires omnibus insinuo.

II.

Fama malum crepero cùm se diffudit ab ore,
Compesco: resicans friuola, vera docens.
Omnia quæ latus terrarum continet orbis,
Subjeci mihi: non me capit vllus homo.

III.

Qui quàm præteritis, tam scit præsentibus vtî,
Riteq; venturis prospicit, ille sapit:
Singula sollerti rerum præponderat arte;
Hic nostro gaudet callidus ingenio.

Luna

L V N A.

I.

Turbida mens semper mea, nec satis apta doceri:
Quid refert? artes non ego magnifico,
Currere, venari, piscari, certa voluptas
Sit mihi; dum ventri commoda multa parem.

II.

Ipsa mihi sapio: quantumuis damna reportet
Error multiuagus: ipsa mihi sapio.
Nil castigantem moror aut respecto magistrum:
Dispereant curæ: disperit inde quies.

III.

Argentum mea vis & gloria. Nam quis id ipsum
Non hodie magnis accumulât studijs?
Merx etenim certè gratissima quolibet anno
Assolet esse: sed & sæpe pericla creat.

B iij

Mercurius.

MERCURIUS.

I.

Omnimodâ quidquid deducit ab arte politum
Dædalus, id nostri numinis esse puta.
Singula nam scitè doceo : sed desino plura :
Scire juuat siquidem plurima, pauca loqui.

II.

Si mihi quid rerum sit cætus inter honestos;
Emicat ex vultu gratia multa meo,
Sincum vorfutis res est; nec cedimus illis :
Cur inter Cretas Cres ego deficiam ?

III.

Argentum quod amat dici cognomine vivum,
Exercens multos, me satagente, viget.
Chymicus arreptat; frustra ; torquétq; cerebrum
Auri percupidus; sed nihil inde datur.

Venus

V E N V S.

I.

Lætitiaæ genetrix, tenerorum mater amorum,
En adsum, multis imperiosa V E N V S.
Docta voluptatis varios expromere flexus,
Decipio iuuenes, insimul atque senes.

II.

Vt mihi præcipuè ludicq; jocicq; probantur:
Sic non sunt stabili pectora fixa fide.
Musica noster amor: curas iramq; remitto
Hostibus: haut quidquam prouenit inde bonj.

III.

Si mores placidi, si grata modestia cuiquam,
Callida sum scitis mox pariare modis.
Postulat vt quiuis, ita sum: quin æra potissim
Argento promptè vendere, si quis amet.

Sol.

S O L.

I.

Aspice me, coeli qui gloria prima decusq;
Iurè vocor; tanto lumine conspicuus.
Cum terras foueo, mox diuite Copia cornu
Omnia producit; lætâq; corda beat.

II.

Ambitio nobis & grata superbia iuxtâ
Assistunt; lætæ semper honore meo.
Diuitias suboles adamat mea: quid mea? numquid
Mentior? erravi: scilicet omnis amat.

III.

Ipse parens Auri sum, nostro numine fulget;
Cordâq; sidereus splendor auara trahit.
Insignes aurum multos facit, auget honores:
Dum modò fors homini non inimica fauet.

MARS.

MARS.

I.

Feruidus, arma sonans, MAVORS ego: ne propi9 me
Quisquis es, accedas, heus, prius ammonco.
Irarum plenus, lethalia tela corusco:
Audaces siquidem Fors juuat ipsa manus.

II.

Me Duce magnanimus graditur non segnis in ho9
Miles, & audacter parta tropæa refert. (stem
Urbibus excisis, fusóq; cruore triumpho:
Inde superborum sub pede colla jacent.

III.

Poenitet haud vnquam cædis; nisi Parca minetur
Sæua necem, fato terribili rapiens.
Auctores equidem ferri chalybísq; vocamur:
Aurum sed noster pòl mage miles amat.

B iij

Iupiter

I V P I T E R.

I.

A St ego mansuetus, sapiens, bonus, atque peritus,
Diuitijs animum tradere cesso meum.
Legibus imperium sustento jugiter æquis:
Præmia quippe bonis, pœna parata malis.

II.

T empora cum poscunt, frontem scio ferre serenã:
Delitiæ nobis, candor, & alma fides.
Consilium sapiens dare nouimus: odimus angue
Pejus inhumanum cor, variúmque dolis,

III.

E micat in stanno, quod mihi tribuere metallum,
Qui sim: cultores splendida lucra parant.
Dulce meis vinum Natis; quia corda serenat:
Gratius è pleno præbita pœcla bibunt.

Saturnus.

S A T V R N V S.

I.

MEne vides ? nolim. Sum tardus, frigidus, excors
Debilis, & mancus; formaq; nulla mihi,
Adsocians Plutus sibi me concinnat avarum:
Ne mihi quid desit, perpetuùm trepido.

II.

Hostis vt æstatis; sic tempestatis amicus
Audio; disperdens semina fragifera,
In plumbo mea vis & ferro fulminat: æui
Si status est felix, inuidus indoleo.

III.

Degere solus amans, nil cætera lumina posco;
Hæc seon apinas quisquiliásq; paro.
Ni maior prohibet vis; carcere, sorte malignâ
Punio; quin gelidæ mortis & autor ego.

ME

itus,

enâ:

uc

nus.



S A T V R I V S

No. 3341 OK

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

me



ULB Halle
004 801 628

3



f

V. D. 17





h. 30. 8


IN
AD SE
TEMPV

QVA
SIMVS A
PRINCEP
nus Ioannes
gravius Tu
lustri illustri
in arce Dres
lem equo
vsu

AS
ET

IS
MVS
OMI
Land
in il
nitate,
nsi-
eq;

Vc
3341



Kodak

LICENSED PRODUCT
3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

